

BRYNON MORAVIAE PRINCEPS.



Brynon Morauorum regulus extitit, qui trans Danubiū in Aquilonari ripa habitabat. Erant urbes eius Nitrauia, Vratislauia & Brynna, quę ab eo dicta fuit. Hic amore uerae religionis motus, ad Ludouicū Germaniæ regē cum filio suo Hetzilone peruenit, atque ab eo petiit sacro fonte Baptismatis ablui. Itaque Ludouicus eum benignè accepit, atque in uera doctrina institui curauit. postea uero eum Traismæ (qui uicus est Austriae Episcopi Salisburgensis) sacro fonte abluit, & in templo S. Martini Christianum fecit, Anno 835. Inde cum eo foedera iunxit, & Rhatabodo uiro fortissimo, quem Orientalis limitis præfectum instituerat, serio commendauit. ut nimirum eum contra Barbaros & Christianorum hostes tueretur. Atque hoc modo Brynonis opera uera religio ad Moraos peralta est. Verūm postea cum bellum exortum esset, atque Brynon fortiter in acie pugnaret, à Ratislao Venedorum duce occisus fuit. Auent, libro 4. Annal. Boiorum,